BENEFICIA

OPTIME COLLOCATA

Sive

DE MAXIMA
ERGA LEOPOLIENSES
BENEFICENTIA

Divi

STANISLAI KOSTCÆ

Insulæ Eremi Vigrensis
e Societate JESU;

Nec non

DE EXIMIA ERGA EUNDEM DIVUM PIETATE
LEOPOLIENSIUM,

ORATIO.

AUTHORE P. FRANCISCO MICHAELE LESNIEWSKI Soc: JESU,
In KROSNOVIANIS Collegii Leopoliensis Scholis Eloquentiæ Professore.

LEOPOLI, typis Collegii Soc: JESU. Annô M. DCC. LI. Idib9. Martiis.

QUænam Oratio par sit Adolescentis laudibus, quem DEUS tam felici sorte dignatus est? Non est ulla: sed age, num idcirco silebimus?

S. Joan. Chrysost. de S. Philogono.

IHS

Hic est Fratrum Amator, & Populi Israël: hic est, qui multùm rat pro Populo, & universa S. ta Civitate. 2. *Machab.* 15. 14.

Posuit Castra sua in medio Populi [illegible], ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. *Judith:* 16. 4.

Repulsi sunt inimici--præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, & directa est salus in manu ejus. 1. *Machab.* 3. 6.

Multis post obitum miraculis, in sua præsertim POLONIA, enituit: cujus armis, contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis è Cœlo affuit non semel, & Civitates aliàs peste, aliàs incendiô liberavit. Quam ob rem CLEMENS X. eum inter primarios Regni Patronos constituit. *Breviar: Rom. de S. STANISLAO KOSTKA.*

TU gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia Populi nostri. *Iudith:* 15. 10.

Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia & fames; - - - clamabimus ad Te in tribulationibus nostris, & exaudies, salvósq; faciés. 2. *Paral:* 20. 9.

Multorum beneficiorum indigemus: intercede, ac deprecare pro PATRIA apud communem Regem & Dominum - - - Timemus afflictiones: exspectamo pericula: non longè absunt scelesti Scythæ, bellũ adversùm nos parturientes - - propugna pro nobis - - utare libertate loquendi - - - Pete pacem, ut Publici Conventus non desinant: nè debacchetur, atque grassetur adversùs Templa Altariave rabiosus & sceleratus barbarus: nè conculcet Sancta profanus & impius. Nos enim etiam quòd incolumes, & integri conservati sumus, Tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem, etiam futuri temporis præsidium atque securitatem. Quòdsi majore etiam opus fuerit Advocatione ac deprecatione; Fratrum tuorum coge chorum, & cum omnibus unà deprecare. *S. Gregor: Nissen: de S. Theodoro M. ad finem.*

Protegam CIVITATEM ISTAM, ut salvem eam. *Is.* 37. 35.
Et erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebûs. 3. *Reg.* 9. 3.

Gloriosa dicta sunt de Te, Civitas. *Ps:* 86. 3. Vocaberis Civitas Justi, Urbs fidelis. *Is:* 1. 26. Et proteget te in sempiternũ *Eccli:* 27. 9.

ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE
COLLEGIO
LECTISSIMORUM
SENATORII
&
EQUESTRIS ORDINIS
ADOLESCENTUM
AD
MULTIPLICEM LITERATURAM ARTESQ;
LIBERALES;
IMPRIMIS VERO
AD
OMNIGENAM CHRISTIANAM VIRTUTEM
LEOPOLI SUB CURA PP. SOCIETATIS JESU
STUDIOSE SE SE EXCOLENTIUM
ID EST: *IL-*

ILLUSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMISQUE DOMINIS

PHILOSOPHIS.

ANTONIO SZCZENIOWSKI, *Tribunidæ Zytomirienſi.*
JGNATIO SZCZENIOWSKI, *Tribunidæ Zytomirienſi.*

ELOQUENTIÆ AUDITORIBUS

MICHAELI STADNICKI, *Caſtellanidæ Sanocenſi.*
CAJETANO SZEPTYCKI, *Pincernidæ Leopolienſi.*
JOANNI KRZUCKI, *Enſiferidæ Podlachiæ.*
ALEXANDRO USTRZYCKI, *Dapiferidæ Vinnicenſi.*
MARCELLINO FALĘCKI, *Subdapiferidæ Zytomirienſi.*
JOANNI KASZOWSKI, *Subdapiferidæ Dobrinenſi.*
NICOLAO SZUMANCZEWSKI, *Subdapiferidæ Nurowienſi.*

POETIS.

JOANNI ROSNOWSKI, *Dapiferidæ Sanocenſi.* JO.

JOANNI ŁASKI, *Venatoridæ Trębovlienſi.*

SUPREMÆ CLASSIS GRAMMATICIS.

ANTONIO ŁOS, *Caſtellanidæ Camenecenſi.*

IOACHIMO ŁOS, *Caſtellanidæ Camenecenſi.*

CAJETANO MIERZEIEWSKI, *Capitaneidæ Uſzycenſi.*

IGNATIO KOSZUTCKI, *Pocillatoridæ Posnanienſi.*

NICOLAO KOMOROWSKI, *Venatoridæ Buſcenſi.*

IGNATIO CHRZANOWSKI, *Capitaneitæ Czerwonogrodenſi.*

FRANCISCO RZECZYCKI, *Capitaneidæ Poturinenſi.*

IOSEPHO FALĘCKI, *Subdapiferidæ Zytomirienſi.*

MEDIÆ CLASSIS GRAMMATICIS.

LAURENTIO CHRZANOWSKI, *Capitaneidæ Czerwonogrodenſi.*

SIMONI WOIAKOWSKI, *Enſiferidæ Vislicen: Judicidæ Czerniechovienſi.*

INFIMÆ CLASSIS GRAMMATICIS.

ANTONIO KARCZEWSKI, *Capitaneidæ Pruſimov. Succenturioni Legionis M. D. L. Majoris Clavæ.*

ADAMO DUNIN BORKOWSKI, *Subdapiferidæ Zydaczevienſi.*

IL-

ILLUSTRISSIMI NOBILISSIMI DOMINI

THAUMATURGUM *Poloniæ, & hujus imprimìs Urbis tutelarem Indigetem, ad Nobiliſſimum Veſtrum adduco* COLLEGIUM. *Nec novum iſtud, inſolénsq; omnino eſt, octoginta* * *et amplìùs ſupra centenos, annîs receptum Cœlo* STANISLAUM *hospitari alicubi in imis iſtis velle Terris. Id jam illi, pro maximo quorumvis mortalium, & Polonorum imprimìs adjuvandorum ſtudio, usuveniſſe aliàs, compertum eſt. Pulsavit non ità pridem Collegii noſtri Cremenecenſis januam: & peregrini cujusdam Adolescentis, ſupra humanas omnes gratias amabilem indutus ſpeciem, ut Tectô excìperetur noſtrô, à Moderatore Collegii poſtulavit. Ecce autem eo ipso momento temporis, pulcherrima illa ſua effigies, quæ innumerîs jam ferme prodigiîs non Cremenecensem duntaxat Urbem, verùm totam quoque colluſtravit Volhyniam, ad eandem affertur januam. Id diſertè videlicet, quin prodigiosè etiam, præceptum ſibi à* STANISLAO *fuiſſe pluries, aſſe-*

* Obiit enim A. D. 1568. inter XIX. & XVIII. Kalendas Septembres.

vera-

verabat Vir nobilis: quin religione etiam jurisjurandi interpositâ confirmabat. Ecce KOSTKAM pro sua Imagine, seu pro fortunandis potiùs per illam suis, prodigiosè solicitum.

Quid verò istud, quæso, est, Adolescentes lectissimi, quod Vobis ego hodie nuncupare aggredior, si non pulcherrima Imago quædam, hinc quidem Thaumaturgi KOSTCÆ, ad usque prodigia erga Leopolienses benefici: inde autem Leopolienſis Urbis, ad usque religiosos Duliæ cultus, erga KOSTKAM gratissimæ? Imago, inquam, ista est, non Apellis cujuspiam deformata coloribûs; verùm ab una lucu-lentîs planè miraculîs, ab altera verò parte nobilissimîs religionis officiîs distincta tota. In ea Vobis, jam ex aëris pestilentia laborantis istius Urbis Cœlestem Archiatrum; jam in summa rei cibariæ inopia Divinum Opsonatorem Promúmque; jam in horrendis incendiis prodigiosum Averruncum; jam contra furores bellicos invictum Propugnatorem depingo STANISLAUM.

Eum igitur pro hac quoque sua Imagine, gratiosè à Vobis recipienda, iterum Nobilissimi Vestri Collegii pulsare fores, existimate Adolescentes lectissimi: & pro vestra in eum pietate, officiosè excipite. Certè istud qualequale opusculum; istam, inquam [ut cœptæ insistamus allegoriæ] beneficiorum illius Iconem; etsi pro mea dicendi arte rudissimam;

pro

pro argumenti tamen, quod in ea depinxi, ratione mirabilem, vel ipse, delapsus cælô, Vobis dicandam præcipiat STANISLAUS. *Ut enim isthic, ad vanissimi adulatoris notam apud ignaros, aut malevolos evitandam, silentiô prorsus præteream, eam esse vestri Sanctitatem Collegii; ut vel Cœlites hospitari in eo libenter velint: quenquámne mortalium propiùs quàm Vestrum Cœtum, istud orationis meæ contingit argumentum? Urbem istam pulcherrimam, imò totum, quàm latè patet, Regnum, suîs ornans & munieus beneficiîs depingitur hìc à nobis* KOSTKA. *Quod verò pulchrius Urbis ejusdem ornamentum est hodie, quàm quod à vobis capit illa? Quod firmius Regno paratur Præsidium, quàm quod Vestra egregia pollicetur indoles, promittit eruditio, spondet virtus? Certè quidem in* KOSTKANIS *id beneficiis non sine causa quis numeret; quòd Nobilissimo hoc Vestro Collegio aucta sit nuper* (*) *Leopolis: ornatum, imò munitum Regnum. Senatoribûs quippe amplissimîs, aut nobilissimîs prognati Equitibûs, Majorum aliquando Vestrorum sumetis Provinciam: inibitis Magistratus: suscipietis curas: tuebimini, imò* (*ut pulcherrimæ in vobis dotes omen faciunt*) *augebitis quoque Gloriam. Inde verò quas in spes non assurgat Respublica? quæ non certissimè à vobis expectet ornamenta? quæ non sibi polliceatur præsidia? Quodsi autem non percepta solummodò, verùm sperata quoque non ex vano, DEO Divísque accepta ferri par est bona; jam in confesso*

(*) Annô Christi. 1749. III. Calendas 8bres est

est, quantam, secundùm Divinum Numen, Divis quoque tutelaribus, ac Principi in primis horum KOSTCÆ, habere pro Vobis gratiam teneatur Polonia.

Sed mitto hæc publica, cùm ut Vestræ parcam Modestiæ; tum nè, quos pridem urget, disrumpat aliquando invidia. Privatos itaque potiùs, privatus alloquar: quámve meritò secunda quoque suî parte istud meum debeatur Vobis Opusculum, commonstrabo. Leopolienſis in STANISLAUM Urbis eximia planè Religio Pietásque eô commemoratur locô, ac laudatur. Enimverò negare haud potestis, Adolescentes lectissimi, pulcherrimæ ejusdem Urbis, Vos principem pulcherrimámque esse partem: nisi id quoque pernegetis, primariam portionem annuli, gemmam esse: nobilissimam Regalis Coronæ partem, Uniones existere. Eô enim Vos locô non amantior Vestrî quàm observantior habet Leopolis; quô & pretiosissimam gemmam annulus, & nobilissimos Uniones Corona aurea. Cùm autem nobilitate Natalium, Virtutúmque Vestrarum promeritô; tum singulari in KOSTKAM religione cultúve, Princeps Urbis istius pars existitis: nemóque magìs ignarus Vestrî exstiterit, quàm qui istud nescíverit.

*Imò verò Eum ipsum, quem tam studiosè Vobiscum colit, videri quodammodo à se in Vobis, & miratur, & gaudet, & ultro tota fatetur Leopolis. Sunt è Vobis videlicet, qui non Gentilitiîs modò KOSTKARUM Insignibûs gloriantur; verùm * cognatione quoque Eos attingunt, & Sanguine. Verùm istud ad nonnullos dun-*

* STADNICCII *sanguine*, ŁOSII *utrôque*.

taxat pertinet: universi autem, quin & singuli, quàm vivam KOSTCÆ memoriam omnibus quotquot Vos nôrunt, refricatis! quàm amabilem SERAPHICI illius ADOLESCENTIS refertis speciem! Idem in Vobis, qui in STANISLAO quondam, flos ætatis: gemella innocentia & morum candor: simillima et actionum gravitas, citra fastum; & animi moderatio, citra morositatem; & officii erga omnes prolixitas, citra turpem adulatorum consuetudinem.

Quid? quòd ultra excitatissimum virtutis studium, discendi quoque contentione maximâ æmulari STANISLAUM contenditis? Non studiosior ille Virtutum cultor, quàm Literarum amator exstitit: pulcherrimoq; fœdere simul Pietatem eximiam, simul Artes Liberales omnes adjungebat sibi. Utramque verò hanc gloriam VOS effecistis vestram. Nam cui sumptui, cui labori, quibus vigiliis, cui contentioni parcitis; ut Artium bonarum omnium primam Vobis vindicetis laudem? ut in omni sciendi genere quàm politissimi evadatis? Id quidem abundè probat bibliotheca vestra instructissima, cujus eruditos codices & atterere legendo pergitis; & conquisitîs undequaque optimîs quibûsque Scriptoribûs augere non cessatis.

Locupletius tamen hujusce rei testimonium pulcherrimus, imò admirabilis vester profectus præbet. Unius duntaxat (plerique autem vix dimidii) revolutô anni circulô, eam exterarum Linguarum, eam Sacræ Civilisq; Historiæ, eam Geographiæ, eam utriusque

Ar-

Architecturæ, cæterarúmque Mathematicæ Disciplinæ partium; eam Patriæ, exterorúmque Regnorum Politiæ; verbô, eam omnigenæ Philologiæ comparâstis jam gloriam: ut nullum in Vobis politissimi, nullum eruditissimi Adolescentis desideretur decus. Nè quid autem ad vivam scientiæ virtutisque KOSTKANÆ imaginem desideraretur in Vobis; pulcherrima ornamenta ista non alibi, quàm in Nobilium Adolescentum Collegio, súbq; PP. Nostrorum cura, duxistis esse comparanda. Id enimverò factum KOSTKANUM est. Nam Nobilissimus, Sanctissimúsque hic Adolescentulus, utriusque illius rei in Viennensi Nobilium Adolescentum Collegio, sub cura Patrum Societatis JESU, felix illud rudimentum posuerat.

Ultra autem simillima, & planè gemina, virtutum Literarúmque studia, eximia quoque in KOSTKAM Pietas Religióque Vestra quàm arctè Vos cum illo colligat! Toti in clientelam illius concessistis. Ipsum Nobilissimi Cœtûs Vestri adoptâstis PATRONUM: ipsius Lipsanorum insignem in Vestro COLLEGIO religiosè asservatis partem: Ipsi domesticum, quod adornatis, Sacrarium dicare decrevistis: Vestrum denique in Sacrorum ipsius ossium portione habere Vos Palladium gratulamini.

Sed tempus jam est, illud Vestrum in KOSTKAM memorare officium; quô nuper Divos Vobis & homines demeruistis simul. Luce enim STANISLAO sacrâ, ubi cætera Patrono huic Vestro rite persolvissetis ob-

se-

ſequia; ſub Panegyricam de illius laudibus orationem, eximium, nec Pietate ſolùm, verùm humanitate quoq; Veſtrâ digniſſimum, edidiſtis ſpectaculum. Ultro enim, nec invitati à me (quòd interpellare Vos de hoc non auderem) dicentì pro Roſtris Oratori meo aſtitiſtis. Et præ manibus quidem ardentes geſſiſtis faces; vultu autem, imò toto corporis habitu, eum non obſcurè prodebatis ignem; quẽ ardens in KOSTKAM amor incendebat. Nempe ſapientiſſimè tum Vobiſcũ ipſi concluſiſtis, ad STANISLAI Veſtri Gloriam imprimìs pertinere, ſi quàm ſplendidiſſimè de eo, non ob Eloquentiæ modò exquiſitum nitorem, verùm ob externum quoque apparatum ac pompam quàm maximam, diceretur. Inde ſingulari iſto honore exornandum putâstis, cui dicendi partes demandaveram, Oratorem.

Rependo officio huic vicem, dum eam ipſam Orationem meam hodie Vobis nuncupo. Quando enim tantopere VOS illa delectavit audita; efficiendum cenſui, ut quam audiendo nuper ex illa cepiſtis voluptatem, habere poſſitis perpetuam in hoc ſcripto.

Hoc proinde officii erga Vos mei pignus eô jam capiatis animô, quô ipſe offero: quâve cœpiſtis benevolentiâ, Honoris Veſtri ſtudioſisſimum proſequiminor

Sum quippe ex animo Veſter, ILLUSTRISSIMI, NOBILISSIMIQUE DOMINI

Perennis, Obſervantiſſimúsque Cultor

Franciſcus Michaël LESNIEWSKI Societatis JESU

COLLEGIUM NOBILIUM LEOPOLIENSE

DIVO STANISLAO KOSTCÆ

SINGULARI PATRONO SUO.

KOSTULE Siderei pulcherrime floſcule campi,
KOSTULE Terrigenûm, Cœligenûmque decus:
Accipe quæ læti ſolvunt Tibi vota clientes,
Quos Patrociniô protegis usque Tuô.
Sis præſto & precibus, dum noſtra pericula poſcunt,
Dum Patrociniô cernis egere Tuô.
Jmmineant etenim quæcunque pericula, noſter
Et SCUTI & GLADII TE vice Cœtus habet.
Cujus enim quæramus opem fidentiùs? aut quod
Perfugium nobis promptius eſſe queat?
Omnibûs audemus titulîs Te dicere noſtrum,
Omnibûs & titulîs nos Tua Turba ſumus.
Nobilis es, ſumus: & Puer es, ſumus: ésque Polonus
Ortu, es Convictor,* nos quoque utrumque ſumus:
Es Socius JESU; Sociorum cura Tuorum,
Quinimò & Socii nos (lare nempe) ſumus.
Es tandem Patriæ Patronus; aheneus Urbis
Es Leoburgiacæ murus, & Ara ſpei:
Ergo Tui hinc etiam ſumus, & Tu es KOSTULE noſter:
Nam Patriæ ac Urbis pars quotacunque ſumus.

* *Primùm Viennæ Auſtriæ, deinde (ex Romana illa peregrinatione) Dilingæ.*

DIVUS

DIVUS STANISLAUS KOSTKA,

COLLEGIO NOBILIUM LEOPOLIENSI,

CLIENTIBUS SUIS.

Sic est, o mea cura! sic Clientes!
Sic est, Deliciæ meæ, Puelli:
Totus vester EGO, meique toti
Vos estis! fateor: quis id negârit?
Nam quid? Nobilis, & Polonus ortu,
Et Convictor eram Puérque quondam:
Id quod Vos modò rettulistis ipsi,
Et quod Vos modò lætus esse cerno.
At me plura etiam propinquiora,
[Quod modestia Vestra præterivit]
Vobis nomina résque colligârunt,
Et totum benè reddidêre Vestrum.
Virtutum species decora, quali
Quondam Terrigenas beatus inter
Effulsi: nitor ille, & ardor ille,
Divinæ nitor ille Sanctitatis.
Castorum gravitas amœna morum,
Candor pectoris, & modesta pulchræ
Frontis gratia, cereúsque flecti
Ad quævis animus bona ac honesta,
Hæc KOSTKAM magè reddidêre Vestrum.
Istîs pergite recreare Cœlos:
Istîs pergite consecrare terras.
Sic Urbi & Patriæ videbit Orbis
KOSTKAM Præsidio esse, VOS Decôri.

Lectori Erudito
Author S.

NUllâ re aliâ faciliùs, quàm imminuti honoris opinione læduntur homines. Inde accidit, ut permulta vocabula, quibûs publici cujusquam muneris, dignitatísq; gradum vulgus exprimit, adeò scrupulosè, nè dicam religiosè usurpare cogamur; ut vel præter sermonis consuetudinem, adhibenda nonnunquam ea sint latinè loquentibus. Istius ego opinione officii si lapsus videor eô locô, ubi Nobilissimos Juvenes Paternîs *Castellanidarum, Capitaneidarum,* aliîsq; ejusmodi ornavi titulîs; ignoscent Latinæ Puritatis Amatores. Quando enim periphrases & circumlocutiones illæ, quibûs (si Latinissimus haberi voluissem) utendum eô locô fuit, tam insuetæ, imò ingratæ etiam accidissent non paucis; quàm absona Pseudopatronymicorum (ut sic dicam) illorum vocabula videntur Eruditis: utrique parti satisfacturum me credidi; si (quod Tullius factitâsse se scribit) usum Populo concessissem, scientiam reservâssem mihi: illius verò (siqua est) culpæ veniam à Latinis Musis poscissem. Nempe, è Tullii ejusdem consilio, malebam isthic nimiùm videri timidus, quàm parum prudens, atq; in honorem cujusquam injurius. Id quod literatissimos quoque, gravissimosq; Viros prælegisse persæpe videas, cùm in hac eadem re versarentur: & *Barones, Landgravios, Marchiones, Comestabiles*, aliaq; ejusmodi in Latinum sermonem inducere, non adeò horruisse; ut à communi, populariq; usu mallent discedere. Certè apud Latinissimum Ericium Puteanum & *Castellanidas*, & *Palatinidas*, & plura hujusmodi, pro Latinissimis fere usurpata invenias.

ORATIO.

Quod aliis plerisque Oratoribus non infrequenter usuvenit; ut vel copiâ, vel magnitudine dicendarum rerum, omnem eloquentiæ ſuæ facultatem obrui, omnem vim elidi ſentiant: id ipſum ego hodie, AA. in me ipſe experior; poſteaquam in ampliſſimo hoc conſeſſu veſtro, de Divino Adoleſcente STANISLAO

Obruor materiæ

ubertate,

svavitate,

majestate.

NISLAO KOSTKA dicere, induxi in animum. Tanta etenim, tamq; multiplex argumenti hujus est varietas; ut unâ illam oratione complecti haud quaquam possim. Tanta svavitudo & gratia, ut peracerbus accidat delectus omnis. Tanta majestas & gravitas; ut nihil omnino non eximium, nihil non summum videatur.

Nam dicăne potiùs de sanctitate vitæ?

Sive quippe sublimem illam, atque omnibûs absolutam numeris, morum & vitæ sanctitatem, in tenello hoc Adolescente, quin Puero pæne, spectо; magnum istud Sapientiæ Divinæ prodigium universam hodie, quanta est, CHRISTI Ecclesiam stupore afficit: &, MIRACULA! MIRACULA! inclamare (1) cogit. Sive blandissimam teneræ istius ætatulæ ob oculos mihi pono imaginem,

an de pulcherrimis naturæ, & gratiæ dotibus?

supra communia non Naturæ solummodò, verùm Gratiæ quoque ornamentâ, venustissimè nitescentem; hìc enimverò totus diffluo voluptate: & nec imperare mihi delectum valeo dicendorum; nec dicenda assumere cuncta pos-

(1) *Ecclesia festô hujus Sancti sic orat: Deus qui inter cætera sapientiæ tuæ miracula, etiam in tenera ætate maturæ Sanctitatis Gratiam contulisti, &c.*

sum.

sum. Nam ingenitis à natura, corporis animiq; dotibûs oblectare me velim contemplandis? multò venustior, & planè incredibilis ornamentorum Gratiæ pulchritudo, speciésq; me avocat. Ipsa hæc Gratiæ ornamenta percensere si cupio; præterquam quòd & numerô, & magnitudine, omnem eloquentiæ vim excedunt; ubi & quando metiar amplissima STANISLAI in Deum Divosq; promerita? Ista metiri desiderem; obruar favorum amplitudine, quibûs prodigum [ut loqui sic liceat) suî Cœlum, in mortalis etiamtum STANISLAI ornamenta, quid dico, ornamenta? oblectamenta etiam, castasq; voluptates ac delicias, se effudit. His dulciter inhæresçat animus? ecquisnam de magnitudine illius Gloriæ, quâ in cœlis jam KOSTKA perfruitur, locus dicendi supererit? Hanc utcunque adumbrare contendat oratio? non locus, non tempus dicendi de luculentissimis maximisq; miraculis, quæ per STANISLAUM patravit Deus, erit reliquum. Miracula memorare statuam? horum verò priusquàm vel minimam exponam partem, hic me dies deficiet.

an de amplitudine meritorũ?

an de eximiis cœli favoribus?

an de Gloria cœlesti Kostcæ?

an de miraculis?

ea verò ipsa

Quæ autem maximarum Orbis Partium, quæ Gentium Regnorumq; quæ Provinciarum, quæ Urbium ampliſſimarum exiſtet contentio; dum ſua quisque domeſtica, id eſt, apud ſe per STANISLAUM patrata, oratione hâc meâ cupiet celebrari miracula? Nulla enim terrarum exiſtit portio, angulus Orbis (2) nullus; qui [ſi ſolem conſpexit unquam] prodigiorum quoque luce perfuſus non ſit KOSTKANORUM. Implevit eorum fama totam, quanta eſt, Europam. Eorum admiratione (quamvis monſtra jam mirari deſierit] tenetur Africa. Ad eorum conſpectum ſtupet Eous Occiduúsve Indus.

in Europáne? an in Africa? an in utraq; India

Sed jam mihi vaſtiſſimum hoc Regnum Poloniæ totâ vocis contentione videtur reclamare; nè exteris commemorandis miraculis horam hanc extraham, quæ nec domeſticis enarrandis ſufficiat. Iſtorum verò honorificâ mentione gratificandum Servatori Patriæ STANISLAO: incendendos ad tutelaris Divi amorem, Civium optimorum animos.

an in Poloniæ ſola?

(2) *Relacya Cudów S. Stan: KOSTKI, pag. 2. Auth. P. Nicol. Oberſki S. J.*

Et

Et ſanè parerem continuò æquiſſimo huic deſiderio, AA. niſi hanc ipſam, in qua verſamur, Urbem, nobiliſſimum hoc Regni Emporium, hanc Artium bonarum altricem, hanc trium (ut nulla fortaſſe Urbs alia] Archiepiſcoporum [3) Metropolim, hoc Ruſſiæ, imò totius noſtri Imperii Propugnaculum, hunc florem Urbium, hoc Civitatum decus, hanc inquam, in qua verſamur, LEOPOLIM, audire hîsce auribûs, imò hîsce ſpectare viderer oculîs, interpellantem, orantem, obteſtantem. Apud ſe illa, inq; Patronorum ac Civium ſuorum conſpectu, verba hæc fieri de STANISLAO, clamitat. Suos inter Servatores ac Vindices illum agnoſcit primum. Illius ſe, quanta eſt, totam eſſe; illius ſtare patrocinîô, colluſtrari miraculîs, recreari beneficiſs, ſervari tutelâ, florere munificentiâ, muniri præſidiô, aſſeverat. Detractum à nobis iri ſuæ gratitudini, ſuis officiis, ſuæ in KOSTKAM pietati; ſi poſt tam multiplices, tam uberes, tam magnificas illius laudes, quotannîs illi, etiam ex hoc perſolutas loco, non aliquando maxima

an Leopoli patrata dicam?

* (3) *Latini, Græci, & Armeni Ritûs: quot nuſpiam fortaſſe aliàs ſimul.*

ejus

ejus in Urbem hanc beneficentia celebretur. Dictum jam, auditúmq; fuisse millies de eximiis, quibûs Regnum hoc ampliſſimum ſervavit toties, beneficiis. Celebrata illa prodigia, proclamata miracula, non pro Roſtris modò & Pulpitis; verùm pro ſcena quoque ac theatris: pro triumphalium circumductu curruum, exſtructione pegmatum, colluſtratione turrium, cantu ſymphoniacorum, tubarum ſonitu, tormentorum boatu: verbô: omni, quæ cogitari poteſt, pompâ; omnigenò apparatu. Faciendũ aliquando jam eſſe, ut Urbis quoque iſtius nomine, ampliſſimæ STANISLAO perſolvantur gratiæ pro maxima, quâ complexus hucusque illam eſt, beneficentia.

Id quidem æquiſſimũ. itaque aſſuma.

Id verò quàm æquum ſit, jam vos ipſos, AA. Clariſſimi, agnoſcere fateriq; conſpicio. Hoc proinde non invitîs, ut ſpero, vobîs; imò probantibûs etiam hortantibûsq; dicendi aſſumam argumentum. Ut autem tantò æquiorem me præſtem omnibus; ita hodie ampliſſima STANISLAI erga Urbem hanc beneficia celebrabo: ut eximiam quoque, imò incom-

incomparabilem, ejusdem Urbis Pietatẽ in STANISLAUM, attingam, & collaudem.

Vos, Illustrissimi Ornatissimiq; AA. etiam atque etiam precor; ut tenuem, impolitamq; hanc Oratoris novitii dictionem, non pro mea [quam nullam esse confiteor) dicendi facultate, verùm pro eximio in STANISLAUM amore, benignîs excipiatis auribûs.

PARS I.

STANISLAUS ERGA LEOPOLIM AD PRODIGIA USQUE BENEFICUS.

Nè maxima erga hanc Urbem, beneficiorum STANISLAI copia ac varietas, aliquid in hac oratione confusum perplexumq; efficiat; ante omnia id faciendum puto, AA. ut certos quosdam beneficiorum ordines, certásq; constituamus quasi classes; ac tum demum ratione & ordine procedamus. Et meâ quidem sententiâ, minimùm ille à vero aber-

beneficiorum totidem genera, quot calamitatum

aberrârit; qui totidem beneficiorum, quot calamitatum, pronuntiârit esse genera. Primùm enim, aliter fere, quàm aut calamitosîs sublevandîs; aut iîs, qui minùs adhuc felices sunt, fortunādîs; aut denique ipsîsmet felicibûs contra infortunium muniendîs, benefici esse haudquaquam possumus. Hoc autem totum nihil omnino est aliud, quàm alienæ miseriæ vel levandæ, vel maturè propulsandæ arcendæq; beneficam collocare operam: singulisq; malorum generibus totidem quasi objicere bonitatis ac benignitatis genera.

Deinde verò, ea est seu beneficii cujusque conditio, seu ingrati potiùs animi humani labes; ut, quæ prosperîs fluorentibûsq; rebûs nos fortunant, ex iis quidem redundantem in nos felicitatem amemus vel perditè: eorum tamen, à quibus hæc in nos profluunt, beneficentiam vix unquam agnoscamus. Una res est, quæ & debitam manui beneficæ reverentiam amorémq; & æquam beneficii æstimationem nos edocet; & memoriam utriusq; immortalem nobis imprimit; indigentia videlicet & calamitas. Re-

ctè igitur è præcipuis calamitatum generibus, præcipua quoque beneficiorum distinguas genera.

Unde primùm utì adversæ, ita secundæ quoque res, aut publicæ & communes sunt, plurimosq; afficiunt; aut ita sive ad unum aliquem, sive ad pauciſſimos nonnullos spectant; ut privatæ omnino habeantur. Rursus autem, utì privata infortunia pæne existunt innumera; eorum autem, quæ in publicum & commune desæviunt, tria vel quatuor atrociora cæterîs, & vel inde decantatiora sint genera; aëris inquam pestilentia, rei cibariæ in fame inopia, ac tandem ignium bellorúmque sævitia: ita & privatorum quidem singulariúmque beneficiorũ infinitæ sunt species; & cõmunia illa atque publica ad tres ferme vel quatuor revocantur classes. Si videlicet aut pestilentem infestámque auram salubritati quispiam Divinâ ope restituat; aut famem liberalitate levet, aut restinguat incendia; aut belli furorem reprimat, ac pace rursum Cives donet.

utraque hæc vel sunt publica; vel privata.

privata innumera: publicorã tres vel 4 classes.

Hic itaque dicendi ordo erit: quàmve beneficus, imò quàm profusus etiam in

hinc nostra partitio.

singulis istis generibus erga Leopolim STANISLAUS fuerit; probatissimis, & publicâ nixis fide exemplis demonstrabimus. Atque hæc erit prima publicorum communiúmque beneficiorum classis, quibûs totam hanc urbem in commune sibi demeruit STANISLAUS. Tum verò, si per tempus licuerit, alterum quoque, id est privatum beneficentiæ KOSTKANÆ genus, strictim & paucis attingemus.

Primum publicum S. Stanislai beneficium in Leopolim collatum

Primum beneficiorum omnium, illúdque post hominum memoriam longè maximum, ad communem Urbis istius pulcherrimæ felicitatem tum contulit STANISLAUS; quando hos Cives inclytos, imò hæc mœnia, hæc basilicarum ædium Auguſtalia, hæc sacerrima Templorum Adyta contra sævissimam simul àéris pestilentiam, simul contra horribile est tutatus incendium. Assequimini jam, opinor, quorsum mea collimet oratio, quandoquidem immortale hoc Thaumaturgi nostri beneficium & recenti conservant memoriâ Cives gratissimi, & in ore etiamnum habent quàm plurimi; & oculis pæne usurpant omnes, quot-

quot-

quot luculentas & ferme vivas rei tunc gestæ imagines intuentur passim. Cõmittere tamen ego nequeo, ut silentiô hìc illud præteream; cùm rei tam admirandæ narratio maximam vel scientibus non adferre non possit voluptatem.

Tertius atque vicesimus supra millesimum sexcentesimum à reparata communi salute, volvebatur annus, toti quidem calamitosus Poloniæ; sed huic in primis Urbi funestissimus. Summa erat difficultas annonæ, quam summa excepit fames. *fames Leopoli.* Sed tolerabilior hæc fuisset calamitas, ac vulgo ferè duntaxat metuenda: cùm inediâ tabescenti populo sævissima ex infecto communi hoc aëre pestis [4] ingruit. *mox pestilentia.* Hoc verò demum atrox planè atque horribile malum fuit: & tantò sævius priore illô; quanto levius censetur supplicium, tolerare inediam; quàm præsentissimum teterrimũq; virus, velis nolis, admittere in præcordia. Accedit, quòd omnis, ut dixi, fames, & in vile fere solummodò desævit vulgus; & tantò promptius inveni-

[4] *P. Oborski, ubi suprà. & hist. Coll. Leop. S.J. An. 1623.*

re consuevit remedium; quantò certius frumentariis negotiatoribus ostendit lucrum. At lues aërea & ita ad omnes pertinet, utì ipse, quem respiramus, aër communis est: & tantum abest, ut ad ferendam opem quemquam alliciat; ut vel arctissimos potiùs, sanctissimosq; mortalium dissolvat nexus.

quàm sævo Hæc itaque geminæ calamitatis atrocitas ubi in Urbem hanc incubuit; momentô fere, in lugubrem prorsus omnia vertit faciem. Videre erat, populosissimũ olim hoc emporium, jam in horridam concessisse solitudinem. Nulli in foro Cives, præter acervos cadaverum: nulli in domibus inquilini, præter mortuos: nulli in plateis obambulantes, nisi aut proximè morituri, aut miserabiliter moribundi. Proh! quàm luctuosa tum, amœnissimæ olim Civitatis facies; cùm vel omnino nullum, vel rarissimum habitatorem conspiceres, cujus illico pœniteret conspecti! Nam pauciſſimi, qui per angiportus errabant, vivis mortibus similiores erant, quàm hominibus. Luridô omnes vultu, horrenti comâ, refugîs in caput oculîs; tremulîs artubûs,

je-

jejunô ventre, labanti poplite, tenuî & lachrymabundâ voce. Augebat horrorem, Templorum ſolitudo & ſqualor, in quibus neque ad Aras Myſtæ, neque in odeis pſaltes, neque in turribus æris Campani ſonus. Ubique pavor: ubique mœſtum ſilentium: ubique funera: ubique mortis imago plurima, eô etiam extremæ calamitatis exacerbata genere; quòd inſepultis paſſim, temereq; abjectis Civium quondam optimorum cadaveribus, crudeli inferiarum officiô, canes (nefandum dictu!) canes & feræ volucres parentarent.

Ecce autem ſupremum infortunium! Deſtituta habitatore, Civitatis miſerrimæ ſuburbana, horrendum involvit incendium! dixiſſes, aut Trojam à Danais, aut Corinthum à Mummio, aut Romam ardere incenſam à Nerone. Exſtinguunt diem illico craſſiſſimi fumi nubes: lambit cœlos, & pæne inflammare videtur, cometes quidam horribilis: fremunt à Septemtrione atque Occaſu venti concitati incendiô; & igneam tempeſtatem illam totâ furoris vi in urbem inferunt deplorandam. Exoritur ejulatus

demum incendium.

hor-

horribilis, tam à paucis, qui novam hanc intrà mœnia opperiebantur mortem; quàm à plurimis, qui in subjectas urbi Villas concesserant, pestilentiam fugituri.

invocatur Divus

Tum verò geminum quoddam eodem prorsus tempore evenit prodigium, alterum alterô mirabilius. Utræque istæ civium miserrimorum reliquiæ, etsi tantô disjunctæ intervallô, in idem prorsus conspirant votum. KOSTKAM! KOSTKAM! sublatô in cœlum clamore, utrique vocant: KOSTKAM supplices obtestantur, succurreret pereuntibus, qui solus posset: averteret supremã calamitatem, quam declinare aliàs nemo posset.

adest visibilis

O consensum inter dissitissimos admirandum! sed o magìs mirabilem beneficentiam STANISLAI! Eo ipso momentô temporis delapsus ille cœlô, Divisq; nostrîs Parentibûs IGNATIO & XAVERIO comitatus, ac splendidissimâ circumfusus luce, supra ipsammet in aëre constitit urbem: ac oculis cunctorum aspectabilis, jam supplices in cœlum manus tollere: jam irrũpentes intrà mœ-

cum S. Ignatio & Xaverio.

juvat Urbem.

nia

nia decumanos flammarum fluctus, modò cæleſtis (quô indutus videbatur] pallii, modò pectoris, imò totius ſuî objectu, procul fugare. Nec abſiſtere tam diu; dum & precibûs, furoris Divini ignem, & inauditô prodigiô horribile reſtinguat incendium.

peſtem quoque ac famem depellit.

Neque verò is tum fuerat beneficentiſſimi in Leopolim STANISLAI gratiarum finis. Aeris quoque luem ſuô illô in eum illapſu perſanavit: nec civibus modò ſervavit Urbem, verùm & cives in ſecuram Urbis poſſeſſionem mox reſtituit. Tum famem quoque, admirabili, & quaſi ſub manu Civium enatâ rerum copiâ prodigioſè opſonavit.

quid Sancti, Ignatius & Xaverius?

Hæc ipſa autem gratiarum prodigia ad altiorem quoque poſſis referre originem. Nam jure dixeris, gratiam tunc retuliſſe Urbi pientiſſimæ, lapſos pariter è cœlo Divos JGNATIUM & XAVERIUM, quorum ſolennem Apotheoſim, cùm maximâ ad apparatûs ſplendorem pompâ, tum incredibili ad religionis ſignificationem pietate (5) ſuperiore anno (6) Leopolienſes cele-

(5) *Hiſt. Coll. Leopolien. S. J. hoc anno* *(6) 1622

brâ-

brârunt. Quod eis officium, dignâ planè Cœlitibûs liberalitate, rependiſſe hoc anno [7] videntur DIVI ambo. Nam quanta, ſuperi! liberalitas fuit iſta. Miſerunt laborantibus præſentes ſuppetias; imò per ſe ſe deduxerunt è cælo ipſi THAUMATURGUM KOSTKAM: nempe Fundatores Clientem, Ductores Aſſeclam, Parentes Filium, quem habuêre cariſſimum, æternùm tunc Urbi Patronum donavêre. Quámve præſtanti, quã Divinô beâſſent illam donô; ex accepta ſub illud ipſum tempus, per eum quem donabant Divum, beneficii magnitudine intelligi voluêre.

Hìc ego, AA. de ſtabilienda imprimìs rei tam admiradæ fide elaborandum mihi eſſe crederem; niſi apud eos me ſcirem dicere, quibus totum, quod narravi prodigium, in confeſſo eſt. Teſtantur illud publicæ Actorum Tabulæ: confirmant jurati & oculati testes pæne innumeri: loquuntur rei tunc geſtæ imagines locîs publicîs, ac pro Cracovienſi in primis Urbis iſtius Porta, ad perennem be-

teſtimonia.

---

* (7) 1623

ne-

neficii memoriam ſumptu publico collocatæ. Omnium verò teſtium, teſtimoniorúmq; inſtar, mihi eſt luculenta illa inſcriptio, quæ ad miraculi iſtius hiſtoriam pro Cracovienſi illa, quam dixi, Urbis porta, publicâ Authoritate depictā exſculptámve, eadē Authoritate, adjecta legitur. Ea inſcriptio ſupernè quidē annum poſiti illius monumenti ita exprimit.

ANNO DOMINI M. DCC.XXVII.
SANCTI STANISLAI KOSTCÆ CANONIZATIONIS imô.

Infernè verò miraculi ipſius hiſtoriam ſic exponit. A. 1623.

CIVIBUS PESTE DISPERSIS: INCENDIO DEPASCENTE SUBURBIA: DIE S. AUGUSTINI: DIVUS KOSTKA IN AERE SUPER HANC PORTAM STANS, INTERDUM FLEXUS GENUA, MANIBUS NUNC EXPANSIS, NUNC COMPOSITIS, DEO SUPPLEX, PALLIO QUOQUE URBEM CONTEGENS, OMNI SITU AUXILIANTIS, ET FORMA, SPECTABILIS (AD SPECTACULUM DESCENDENTIBUS COELO SS. IGNATIO ET XAVERIO) EXSTINXIT FLAMMAS; INFLAMMAVIT CULTUM ERGA SE, NON EXSTINGUIBILEM SAECULIS.

LAUDENT EUM IN PORTIS OPERA EIUS

Ex PROCESSU LEOPOL. SUBSCRIPTO PER ILLUSTRISSIMUM PRUCHNICKI ARCHIEPISCOPUM.

Oratoris eâ de re sensus.

Hâc igitur probandi rem usque adeò probatam omissâ curâ, quid ex aliis aut faciam, aut dicam priùs? Civitatíne huic feliciſſimæ tam opportunam, tam mirabilem rerum ſuarum in melius converſionem gratuler; an benefica potiùs Thaumaturgi KOSTCÆ prodigia, & prodigioſa demirer beneficia? Imò ſi vel alterutrum duntaxat præſtare contendã; parésne in tota, quanta eſt, dicendi facultate vires ac nervos inveniam? O STANISLAE! o KOSTKA! o THAUMATURGE! quid iſtud, quæſo, quid iſtud prodigii eſt? Mortalem te olim tantô divinæ charitatis conflagraſſe incendiô; ut mediâ quoque hieme jam applicitîs madefactîs linteîs, jam frigidâ copioſè affuſâ temperandi ardores iſti forent. Nunc contrà, immortalem te ac Glorioſum, pro aqua pæne ad reſtinguendũ ignẽ eſſe? Sed videlicet ignibûs exſtinxit ignes KOSTKA: maximô Seraphici cordis ardore minorem conſumpſit flammam. Aut certè, quod crate igneâ, & crudeli uſtulatione fortiſſimè toleratâ, in ignes ſibi Imperium comparavit LAURENTIUS, hoc ipſum Incru-

cruentus Martyr Seraphicîs ſibi flammîs emeruit STANISLAUS. O fortunatam eô Patronô Leopolim! Servat Catanenſes AGATHA contra Ætnæos ignes: Neapolitanos Martyr JANUARIUS contra furores Veſuvii: Cracoviam FLORIANUS noſter contra ſubitaria incendia. Illísne verò urbibus clariſſimis Tutore ſuô defenſa concedet Leopolis?

ſimilia pluries patrata.

Ei verò plurima quoque alia cùm in his ipſis; tum in cæteris communium beneficiorum generibus, præſtitiſſe novimus STANISLAUM: nec minore prodigiô, nec obſcuriore famâ hucusque celebrata. Nam quoties, dum atrociſſimi in eam ſævirent morbi, graſſaretur peſtilentia, fureret Libitina; id ipſum beneficium iteravit KOSTKA?

unum hîc memoramus,

Utì autem ea ipſa beneficia pluries éx intervallo, eq; afflictæ Urbis indigentiâ iteravit ille; ita quàm plurima eorum monumenta, ſecuturæ transmiſit poſteritati Urbs gratiſſima. Inter ea principem quoque locum obtinet pulcherrima illa imago Divi, quæ pro editiſſima Curiæ urbanæ turri ſublimis eminet: perſanataq; iterum aëris peſtilentiæ immortalem in Civibus conſervat memoriam.

iterum pestilentia.

Ingruerat nempe in Leopolim (8) atrociſſima quædam lues; populoſiſſimũq; iſtud Gentium plurimarum Emporium pæne in horridum mutârat ſepulchretum. Ad levandam calamitatem iſtam nihil humani ſuppetebat remedii, quin conſilii quoque nihil. Itaque humanâ deſtituti ope, cœleſtem à STANISLAO implorant Cives. Mirabilis etiam tum exſtitit [9] in eo implorando conſenſio: quippe ſeorſim Magiſtratus Urbanus è communi conſulto; ſeorſim Collegii noſtri Rector è privato communis boni ſtudio; ſeorſim denique vigilantiſſimus Antiſtes Urbis JOANNES TARNOVIUS [longiſſimô tum à Leopoli abſens itinere.) è Paterna ſubjecti ſibi Gregis cura, eodem omnino tempore Vota quædam nuncupârunt KOSTCÆ; ſi ſalubritati priſtinæ communem auram, ſi urbem Civibus, ſi Cives urbi reddidiſſet.

& iterum invocatur Divus.

aut fruſtra

Nec promptus minùs quàm mirabilis in ſuorum accipiendis Votis KOSTKA exſtitit. Ex eo enim die, graſſantis mali ſævitia inſigniter ſtatim remittere, & vix quempiam lædere: mox omnino quoque vaneſcere: interire. Paucîs ferè die-

(8) *Anno 1657.* *(9) *P. Kwiatkowſki Collectan. Aſcet. par. 2. cap. 10. pag. 658.*

bûs restituta est auræ salubritas: rediit vigor & vita Civibus: Cives nuper aut prostrati morbô, aut dispersi fugâ, ubi depopulatam, repentè implevêre Urbem; communem illico restituêre lætitiam.

Persolvunt igitur Sospitatori suo Vota: suæq; simul gratulantur felicitati, quòd tam præsentaneum reperissent in iis communis mali remedium. Appenditur Anathema argenteum è Divi Ara. *Urbs exsolvit Vota.*

Ecce autem ad lætitiæ illius quasi cumulum, primùm è Collegii nostri Moderatore, tum è superveniente Archi-Præsule ediscunt omnes; eodem omnino die, quin momentô pæne eodem, & nuncupata à diversis fuisse Vota eadem; & accepta exstitisse cœlo: cùm is ipse, ut dixi, dies, fatalis quidem communi malo, Civitati verò pientissimæ sospitalis affulserit. *ea mirabiliter concepta*

Itaque majore etiam, quàm voverant, cum Divino Sospitatore suo certare liberalitate cives constituunt. Iterum Senatus cogitur: déq; novo in KOSTKAM offició rogantur sententiæ. Una erat mens omnium, quâ in præstantissimi tum Civis *ANCZEVII* ibatur sen- *Cives ultrà Vota pii*

sum

sum. Fuit Ille peritissimus in Urbe hâc Archiater: & cultor imprimis egrégius STANISLAI. Decernebat autem, communi adjutus suffragiô, ut ærea imago DIVI, pro altissima, quam dixi, Civitatis istius turri, sumptu publicô, ritúq; religionis plenô poneretur. Obtinet pientissima ista sententia: elaboratur arte eximia PUBLICI SERVATORIS Icon: & religione maximâ, eô quem memoravi, loco, in perenne monumentum prodigii sublimis figitur.

decernunt æream iconem Divo.

ea sublimis figitur in turri curiæ

Ita tum experientissimus piissimúsq; is Medicus, officiô est functus suô, dum & conclamatam fuisse salutem publicam (nisi medelã cælitus attulisset KOSTKA) edixit palàm; & præsentissimum in posterum contra contagionem ejusmodi, indicavit Civitati remedium, prospecturi videlicet ex alto clientibus, opem KOSTCÆ. Ita gratissima STANISLAO Leopolis; cui maximè salutem vitamq; Civium acceptam ferret Æsculapio, perenni testatum reliquit monumentô.

collaudatur hoc factum.

Verùm, quid opus hoc loco est pluribûs ea de re pertexendis historiis: cùm

plura similia prodigia silentur.

apud

apud eos me sciam dicere, qui & Patrum memoriâ, & suâ, non accidisse modò id certò sciant, verùm ipsimet ultro fateantur?

Superest, ut bellô quoque expertum Leopolienſibus STANISLAI Patrocinium memoremus. Ne ullum scilicet è quaternis illis communium beneficiorum generibus, prætermisisse erga hanc Urbem Thaumaturgus illius videatur. Duo maximè superiore sæculô arsere bella: seu unum idemq; potiùs, continenti multorum annorum incendiô miseram est depastum Poloniam: ac principem in primis Urbem Poloniæ, Leoburgum, tantùm non in favillam redegit ac cineres. E cujus cladis periculo, imò fatali quadam pereundi necessitate, agnoscunt Cives gratissimi, nec potuisse se, citrà ingens prodigium, evasisse incolumes; nec alienâ, quòd evaserint, factum ope, quã luculentô beneficiô STANISLAI.

Iam dicendum de ope in bellis lata.

Superiore sæculô quot bella in Polonia

in iis periclitata Leopolis.

Fax illa funestissima, imò Erinnys Patriæ, rebellis Chmielnicius, Cosacorum imprimis Scytharumq;, dein Turcarum etiam, Moscovitarum, Dacorum, Hunnorum, Borussorũ denique

Chmielnicius.

ac

ac Gothorum certatim adjutus armis, eo furore in exterminium Reip. obstinârat animum, ut parum jam à supremo abessemus exitio. Miserum me! quod vulnus Patriæ refricare cogor! quam labem temporum revoco in memoriã! Is igitur [10] scelestus ac perditus cùm Pilavecensi clade nostros iterum dissipasset exercitus, expugnasset munitiones, cepisset Arces, expilasset & incendisset municipia, solo æquasset urbes alias, accessit infestis copiis etiam ad Leopolim: suburbana incendit: Arcem superam proditione nefariâ occupavit: Urbem ipsã arctissimâ obsidione cinxit: spe pæne devoravit. Cõtra innumerabiles obsidentis copias inermis fere Urbs exiguâ se defendit manu. Sed superi! qua manu! Armare enim non servos modò (uti Romæ aliquando factũ) verùm vilissimam quoque Judæorum fæcem, præsens cogebat necessitas.

eam obsidet

urbis præsidiarii.

Invocatur S. KOSTKA.

Quid facerent fortissimi cives catholici, animis quidem pares hosti, sed multò inferiores viribûs! Ad suum illi pro

[10] *Woyna domowa Twardowskiego, pag.* 37. *Opus Geographicum Illmi Lubinski, pag.*315. *cœpta verò obsidio* 9. *Sbris, An.*1648.* (11) *Hist: Coll. Leop. S. J. pag.* 233. 235. &c.

ex-

experta beneficentia confugiunt STANISLAUM. Nuncupantur vota: (n) instituitur diu noctúve continuata ad prodigiosam hanc *A*ram supplicatio: circũfertur intempestâ nocte pro mœnibus imago Divi. Imò nullus ex Orthodoxis propugnatoribus exiguam Divinæ MATRIS ac STANISLAI icunculã non obtendit pectori. Hoc singuli umbone armati pro muris excubant: hôc feliciter hostium assultus reprimunt: hôc ingentes identidem edunt clades.

Quid Tu interea STANISLAE? Urbémne tuam expugnari à barbaris, expilari, exscindi, pessumdari patiêre? nam ea omnia (si diutiùs tenuisset obsidio) exspectanda indubitatò erant. Sed minimè tardavit ille præsentem clientibus opem ferre. Ita supremam avertit cladem; ut nè timore quidem illius diu exanimari suos passus fuerit. Hosti potentissimo desperationem injicit vincendorum inermium: útq; mediocri acquiescant lytro, qui totam jam cupiditate devorârant Urbem, efficit non sine prodigio. Penditur imperata pecunia: dissolvitur unius prope Mensis obsidio: abscedit hostis, se ipsum

juvat.

lytrum penditur.

obsidio.

(n) *Hist. Coll. Leop. S. J. pag. 233. 235. & seqq.*

præ admiratione non capiens, quòd insatiabilis illa sua, quâ non ita pridem furebat, tantillô jam exstincta in se sit auri fames.

Sed vi adactus erat scilicet ad eam seu desperationem expugnandæ Urbis; seu auri temperandam famem: & vi quidem multò validiore, quàm ut humanîs eam viribûs posset retundere. Cælestis quippe ac divina vis illa fuit, quâ fracti & domiti perditissimorum latronum erant animi. Id illi ipsi dissimulare haud poterant, cùm cœptam obsidionem dissolvissent, atque ab Urbe discederent [12] Unus, inquiebant, præ cæteris nos exanimavit metus; nè, si diutiùs oppugnare pergeremus Leopolim, supremũ nobis cœlitus accerseremus exitiũ. O quantô [pergebant fateri ulteriùs] o quantô Urbs hæc, quàmve prodigiosô Propugnatore defenditur! Rogantibus autẽ civibus, edicerent sine ambagibus, quẽnam illum Propugnatorem dicerent; ejus equidem ignotum sibi esse reponebant

Hostis fatetur, Urbem defẽsam à S. Stanislao

[12] *Illmus Nicol: Dönhoff in paneg. SS. Stanislai & Aloysii, sub titulo, Czuła straż. P. Tylkowski l. 2 vitæ, cap. 5. P. Gzowski in Canoniz. Eorund. SS. pag. 1. & 3. & alii;*

no-

nomen, compertam tamen vim humanâ majorem. Juvenem prætulisse decorâ facie: Jesuitam vestitu: Divum immortalẽ dignâ Cœlitibûs personæ & actionũ majestate: imprimìs verò Divinâ planè ad frangendos suos obsidentiũ animos potestate. Eum pro vestris [inquiebant] mœnibus pæne quotidie obambulantem conspeximus, quasi solicitè prospicientem Urbi, disponentẽ excubias, librantem machinas, nostros retundentẽ assultus, & identidẽ (quô supra humanos omnes exanimabamur horrores) irato vultu pessima nobis omnia, si pergeremus, minitantem. Istæ nos, inquiebant, minæ ita formidinis implevêre; ut quantocyus obsidionẽ deserere, siq; salvi ab obsessis regrederemur mœnibꝰ, in magno id lucro ponere; quodsi verò aliquid etiam lytri eliceremus, plusquàm feliciſſimos nos credere cogeremur. Hæc invitus ringénsq; fatebatur hostis; tantô certiore veritatis argumentô, quantô minore fatendi, voluntate.

At haudquaquàm non sentio, AA. quid mihi jam hoc loco obstrepere aut ignarus rerum; aut parum addictus STANISLAO possit aliquis. Requirat is for- *his fidem adstruit Orator*

taſle, quibûsnã ego argumentîs nixus, hoc tãingens STANISLAO attribuam beneficium. Verùm ſi vel, quæ dixi, expenderit; vel quæ dicturus ſum porro, audierit; victas illico (niſi impudenter ſit pertinax) dabit manus. Rogo enim imprimìs, ecquisnam fuit, qui tam diſertam illam, tam conſtantem, tam firmam vel ipſi hoſti confeſſionem extorſit prodigii? Manifeſtæ videlicet, publicæq; vis illa fuit veritatis! Invicta quippe, & planè ineluctabilis vis iſta eſt: tantâq; non in occæcatiſſimos modò, averſiſſimósq; oculos, pollet luce; ut vel invitis illis clauſisq; agnitionem infundat ſuî: verùm in linguas quoque, etiam obſtinatiſſimas, tã mirabile exercet imperiũ; ut vel nolẽtib9 confeſſionẽ exprimat.

à confeſſione hoſtium.

Sed enimverò aliud fortaſle, neſcio quid, non manifeſtæ veritatis agnitio, ad ea in vulgus ſpargenda hoſtem induxerat. Aut innata videlicet fingendi quidvis libido ac levitas; aut improbum Civibus adulandi ſtudium; aut denique obtegendæ utcunque, contractæ tum, è re non bene geſta ignominiæ ars illa erat. Malebat nempe callidiſſimus, mendaciſſimúsq; hoſtis, non expugnatæ tum à ſe ci-

cui quidem tria obiici poſſunt: levitas, adulatio, aſtus.

civitatis dedecus effictîs quibûslibet obvelare prodigiîs; quàm aut siniſtræ armorum ſuorum fortunæ, aut imbecillitati virium attribuere.

Præclarum verò argumentum! Nempe tam hebetes, imò (ſit verbo venia) tam ſtolidi tum fuêre, quotquot cultiſſimam, ſapientiſſimámq; hanc Urbem per ea incoluêre tempora, quà Cives graviſſimi, quà doctiſſimi religioſiſſimíq; Viri; ut ſeu aperta illa fingendi levitas; ſeu impudens adulandi ſtudium, ſeu calli dus dedecoris amoliendi aſtus, nullum prorſus ex illis adverterit? nemini ſuboluerit? Imò (ſi ſuperis quidem placet) adeò infatuari ſe ſiverant; ut impudentiſſimum, evidentiſſimúmq; mendacium in prodigia quoque retulerint, innumerîsq; cùm ſcriptîs, tum aliîs monumentîs clariſſimîs Poſteritati transmiſerint! O te hominem (quisquis ita auſis arguere) & in ſapientiſſimam Urbem iſtam, & in prudentiſſimos integerrimósq; ſcriptores (13) quàm plurimos, manifeſtè [nè dicã, impudenter] iniquum & injurium!

ſolvitur primò tota objectio.

à Civium prudentia, & ſcriptorum authoritate.

Sed præterea, hoſtísne ab ingenio barbarus, à dedecore fruſtra tum oppugna-

2dò, nec levitas, nec adulatio,

(13) *qui ſuprà, num.* 12,

tæ

tæ Urbis efferatiſſimus, ab erepta ſibi ſpe prædæ in rabiem pæne actus, aut ſe ipſe vaniſſimîs [quod inertium fere, otioſiſſimorúmq;, non irâ furentium, non amentium dolore, eſt) oblectaret mendaciîs, aut iis, quos diris palàm devovebat omnibus, cùm abſcederet, adulari per fictionem vaniſſimam ſub illud ipſũ tempus vellet?

nec aſtus eam confeſſionem expreſſit hoſti.

At neque poſtremum illud obtegendæ utcunque, per prodigii ſpeciem, ignominiæ, callidius commentum eſt. Iiquippe id ſoli crediderint, qui hoſtes illos implacabili, & prorſus capitali odiô ab Orthodoxa Religione Civium (Græcos nempe Schiſmaticos à Romana Eccleſia] diſſidere perpetuò, imò in ejus tunc ſupremum exitium (14) conjurâſſe neſcierint. Nam LACHOSNE (15) Superis Inferisq; (ut putant illi] inviſos omnibus, tantæ Cœlitibus curæ eſſe; imò habere in Senatu Cœlitum è ſuis quempiam, profiterentur ultro iſti? Bellicæne exiſtimationis labeculam æternô Religionis intaminatæ [qualem jactant videlicet] obtectam vellent nævo?

[14] *Twardowſki. Woyny Domowey wtorey, części wtore pag.* 6. 7. 8. * (15) *ita illi Polonos vocant.*

Sed

Sed finge tamen, aut minimè vidisse præcipites, ad nostræ quidem Religionis gloriam, ad Græcanici verò erroris convictionem luculentissimã cessurum, quod dicerent; aut (quod non creditu modò difficile, verùm & dictu horrendum est] gloriæ honorísq; labem vel Religionis proditione abolere utcunque voluisse: jámne palmam retulisse te censes? Ut enim interea ex adductis capitibus pro mendaciissimo impudentissimóq; commento hostilem illam confessionem haberi à te patiar, quânam, obsecro, fortunâ id contigit, ut hostis barbarus non notissimum quempiam appellaret Divum; sed eum potiùs sibi palàm asseveraret visum, cujus nè nomen quidem haberet cognitum? Quî, per Deum! evenire potuit, ut lineamenta vultûs, ut modus vestium, ut ætas, ut omnia tam apertè in ignotissimũ, unúmq; hunc quadrarent? quadrarent, inquam, usque adeò exquisitè; ut vel viva ex iis, quæ fatebantur isti, imago ejus pingi posset? Quô insolitô, inauditôq; evênit prodigiô; ut futile vanissimúmq; (per te) mendacium cum diurnis nocturnísq; Votis ac precibus, cum exspectati-

confirmatur id pressiùs ab adjunctis hujus confessionis.

one

one solicita, cum spe demum Civitatis totius unica, imò & cum re ipsa, reíq; gestæ tempore examussim omnino, mirabilitérq; congruerent? Nam ecquis, quæso, fortunatus is dies erat, quò post tot tantásq; tempestatis illius fædissimæ procellas, post tot strages & incendia, insperatæ pacis nuntiô vultus Civium serenavit repentè? Appellemus fidem Annalium: Patrum memoriam requiramus. Uno omnes fatentur ore, (16) eô die solutã obsidionem atrocissimam; quô (spectatîs rebûs omnibûs) nihil minùs humanitus sperari debuerat: quô tamen simul ardentissimè ab obsessis supplicabatur STANISLAO: quô tota Civitas ante Aram hanc illius affusa, Ædem istam miserîs replebat gemitibûs; &, opem! opem! pacem! suppetias, lachymabunda inclamabat. Quid tu isthìc incredule? surdũ ista & ferreũ spectasse è cœlo dices KOSTKAM: quem nuper, ut Civibus iisdem succurreret, cœlos etiam reliquisse audieras? Credes, nihil emollitum gemitibûs, quorum ipsa recordatio miserationem & lachrymas vel saxo eliciat!

è tempore solutæ obsidionis.

[16] *hist. Coll. Leop. S. J. pag.* 240 241. *& seqq.*

Fu-

Fuit præterea illo die [17] pervigiliũ lucis ſacratæ STANISLAO: appetebat in craſtinũ is dies, quẽ imprimìs ſolennẽ KOSTCÆ quotannis peragebat Leopolis. O lucẽ feliciter ominoſam! nolebas videlicet, STANISLAE Diviniſſime, in eũ usque diem mœrore & dolore tabeſcere, exſternari pavore, premi obſidionis ærumnîs devotiſſimos tibi Cives: quo illi die ſolemnes tibi honores, læti alacrésq; perſolvere conſueviſſent.

adò

Sed quinam, quæſo, ipſiusmet Civitatis inclytæ de eventu illo feliciſſimo ſenſus fuerat? Non tota illico gratioſam ſui Vindicis agnovit opem? non conſenſu unanimi, illi ſuam acceptam retulit libertatem? non æternum hujus ipſius ſui ſenſûs exſtare voluit monumentum, in prægrandi argenteo Anathemate, quod in Obſidionalis Coronæ conformatum effigiem [18] è STANISLAI appendit Ara? Vel ſi per te, piiſſimi prudentiſſimíq; Cives, cui ſuam deberent fortunã, ignorabant; tu unde nôſti, neſcio cui alteri quàm STANISLAO debuiſſe?

è communî civium ſenſu,

& facto

ad obtrectatorem

Sed quorſum iſta contentio, cùm apud

nullum de hoc dubiũ.

[17] *hiſt. Coll. Leop. S.J. p. 240. 241.* *[18] *ead. hiſt. p. 243*

eos ego verba faciam, qui in communem hac de re Majorum ſuorum ſenſum concedunt toti? Quibus tam exploratum eſt, eos ipſos Majores ſuos, iſtum de STANISLAO ſenſum aliîs quoque tam luculentîs fuiſſe teſtatos factîs; ut nullũ prorſus dubitandi hac de re locum reliquerint?

probatio ex aliis, quæ poſtea evenêre.

Nam quæ illa, quæſo res fuerat, quæ imminente rurſus, poſt triennium fere, obſidione aliâ, ad tantam illos erga STANISLAUM ſuum animârat fiduciam; ut illius tutelam & gratiã nullîs non pietatis officiîs demereri contenderint: ſíq; hanc obtinerent (utì obtinuiſſe eventus docuit) aheneô ſe ſe defendi murô crederent? Ubi enim de propinquante rurſus ad Urbem obſidendam hoſte (19) haud dubiô rumore eſt cognitum; inſtituta illico ſolemnis ad STANISLAI Aram ſupplicatio, ob totius quidem confluxũ Civitatis numeroſiſſima; ob ardentiſſimũ verò Numinis per KOSTKAM placandi ſtudium devotiſſima. Ducebant longiſſimos ſupplicantiũ ordines (20) gemini Urbis Antiſtites, Romani alter Ritûs,

rurſus timetur obſidio. Supplicatio publica in honorem Divi à duobus Archiepiſcopis deducta

* (19) *Anno* 1652 * (20) *ead. hiſt. p.* 245. 246.

al-

alter Armeni. Illi, ut Pontificiô fulgebant cultu, ingressi Templum, atque ad STANISLAI Aram affusi, periculum ei exponunt lacrymabundi: singultibûs quàm verbîs potiùs implorant opem. *A*desset clientibus: imminens averruncaret incendium: restincto priùs, quem jure se commeruisse agnoscerēt, Divini furoris igne. Urbem totam, illius se commendare tutelæ: quam si (utì sperarent) experirentur etiam, TOTAM LEOPOLIM ÆTERNUM STANISL*AO* DEVOTAM FORE. Excepit Vota Præsulum primùm lacrymabilis cæterorum contestatio, quâ (Deô SUPERISQUE OMNIBUS in ejus rei testimonium evocatîs) idem omnino velle, idem vovere omnes acclamârunt. Mox ubi se ejulatus remisit, atque ab humo (nam humi plerique omnes se se abjecerant) udos lacrymîs erexêre vultus; Magistratus Urbani prægrandem (21) purissimi argenti tabulam, eodem inscriptam votô, offerunt Archi-Præsulibus: útq; S.P.Q.L. nomine, è KOSTCÆ *A*ra hoc *A*nathema pendeat, exposcunt supplices.

fervor orantium.

devovet se urbs Divo

anathema ex Ara appendit.

(21) *hist. Coll. Leop. S. J. p. 245. 246.*

experitur mirabilem Divi opem

O eximiam piissimorum Civium in Patronum Protectorémq; suum pietatem! sed o luculentum simul Patroni hujus beneficium! Jam fere ad mœnia propinquans hostis, tam repentè aliò cruentos vertit impetus; ut cùm nubem grandine fulminibûsq; fœtam violentus excepit turbo, & vel diffiavit, discerpsitq; in partes pestem; vel in avia delatam loca, citrà noxam mortalium effundi fecit. Et certè tam repentina illa avarissimarum belluarum à muris pæne Urbis abscessio prodigii non carebat specie. Quis enim non jure referat in prodigia, si rapacissimus harpyiarum exercitus, nullô imminentis à tergo hostis perculsus metu, opimam ac inermem, repentè prædam deserat?

Iterum.

Utî autem imminentem hanc cladem, non citrà prodigii speciem propulsavit à suis STANISLAUS; ita deinceps quoque, cùm barbaro Turcarum furori omnino jam cessura in prædam videretur LEOPOLIS, luculentîs eam prodigiîs vindicavit. Res post vicenos fere quaternósve à Cosatica illa obsidione annos [22] ita contigit. Capto illo totius Polo-

(22) *Anno Xsti* 1672. 19. *Sbris.*

niæ

niæ, imò Christianitatis propugnaculô, CAMENECO, quasi ingens diluvium rupto aggere, infusi in Russiam ulteriorẽ barbari in ipsa jam Regni viscera grassabantur. Iugulabantur cives: solo æquabantur Urbes: spoliabantur Templa: profanabantur Sacrosancta Religionis Mysteria: nullum crudelitatis, nullum flagitii, nullum sacrilegii præteribatur genus. Ubique cædes, ubique incendia, ubique extrema omnia calamitatum genera.

Turcæ capto Camenecô Russiam inundant.

sæviunt.

Huic verò arcendo diluvio nihil usquam erat obstaculi præter Leopolim. Illam igitur eô furiosiùs oppugnare instituit ferox hostis; quò fidentiùs fuit ausa resistere. Excidium illi destinat: ultimam edicit stragem: locum ipsum, si possit, aboliturum se se jurat. Quæ rursum contra tam furiosum támq; potentem hostẽ quærant præsidia Cives miseri?

ad Leopolim accedunt, obsident.

Quem vocet Divum populus, ruentis
Imperi rebus? prece quâ fatigent
Ordines Sacri [liceat sic mutare] *minùs*
audientes *Carmina Cælos?* (23)

Iterum ad STANISLAUM confugitur. Ille Propugnatoris Exercitûs Imperator legitur: illi ardentissimè supplicatur. Illi-

Urbs in Divi tutelam concedit.

(23) *Hor. ode 1.*

us

Votum pro pluvia, adcohibendas hostiles machinas.

us sacrâ effigies pro mœnibus obsessæ urbis hosti objicitur. Votũ interea à multis concipitur (24) certas ei quotidie persolvendi laudes; si perpetuîs pluvii cœli imbribûs machinarum hostilium furorem inhibeat. Hîs enim violenter concussi lababant muri: hîs dejiciebantur turres: impetebantur templa: fulminabantur discerpebantúrq; medio etiam in foro Cives. *A*b his nihil usquam immune: nihil integrum: securum nihil. Harum ope deferebant ferale incendium globi ignei, & latè per tecta dispergebant. Nihil suppetebat remedii, præterquam si violenter plueret.

O facilem suorum in vota STANISLAUM! Factum quidẽ aliquando, accepimus; ut Rhodiorum Urbs à Demetrio (quem *Expugnatorem* dicebant] obsidione cincta, bellicîsq; contrita machinîs, nè ab injecto demum [quod parabat Demetrius] periret igne, Protogenis depictam penicillô perelegantem tabulam pro mœnibus hosti objecerit. Parsúmq; tum ab hoste rebelli Urbi; (25) ut pulcherrimæ parceretur imagini. Quid tamen est ta-

(24) *hist. Coll. ubi suprà. fuitq; conceptum à Nostris in Collegio* (25) *Plin. hist. nat. l. 35. c. 10.*

bu-

bulæ illius gloria, ad mirificam Urbis istius servatricem KOSTCÆ imaginem? Perierant quidem Rhodii, nisi imago Protogenis; et perierant pariter Leopolienses, nisi imago KOSTCÆ defendisset. Verùm cùm Rhodios nollet quidem, at posset; Leopolienses contrà, ut vellet maximè, perdere tamen haud quaquam posset potentissimus alioqui furiosissimúsq; hostis: suam Rhodii debuerunt salutem moderationi victoris & clementiæ, at suam Leopolienses & salutem & Urbem debent luculento STANISLAI prodigio. Jngruunt enim repentè violenti & perpetui è cœlo imbres: nec pluere absistit tamdiu; dum in desperationẽ expugnandæ Leopolis agatur hostis. Nam quô expugnaret pactô, quam propugnabat è cœlo, imò nec oppugnari sinebat KOSTKA?

impetratur pluvia.

Qui tamen ademptum sibi robur omne agnoverat, ad fraudes atque strophas conversus, iis saltem se se pugnaturum felicius credebat hostis. Cogitur è primariis barbarorũ ducibꝰ infandũ cõcilium: expugnatur in eo pæne, capitúrq; Leopolis, post ferreas æneasq; machinas

hostis à vi ad fraudes vertitur.

Consultat frequens.

au-

aureo dein oppugnanda ariete. Ita quippe bellicus ille barbarorum ſenatus decernebat [26] *A*ctum de Urbe erat, niſi cæcum exitium partim dis*j*eciſſet per ſe ſe; partim Cives de eo admonuiſſet KOSTKA. Primùm enim aſpectabilem Divini cujusdam *A*doleſcentis indutus formam, admirabili paucorum verborum efficaciâ perſuadet propugnatorum Ducibus, conjiciendam in nefandum illud barbarorum concilium vim ignitorum miſſilium. Mox eâdem cœleſti facundiâ evincit apud Veteranos Heroës tener (ut tum ferebat vultu) atque ignotus puer, ut ſuâ ipſe manu igneam illam in hoſtes effundat tempeſtatem. *Ac*quiescitur: erumpit vis ingens ignium telorúmque in conſultantem hoſtem: fit magna in eo ſtrages: pars eodem, quo conſederant, diſcerpti loco: pars fœdati proſtratíque vulneribus: pars metu exanimati diffugiunt. Dixiſſes (ſi jocari in re ſeria colliberet] barbarum Senatusconſultum illud *per diſceſſionem* factum Romano more: ita pars fere altera conſultantium è vivis rum diſceſſit ad inferos

diſturbatur à Divo barbarum concilium.

(26) *P. Gzowſki fol. 3. ubi ſuprà. P. Kowalicki, kaznodzieia odświetny.*

*A*t

At cœleſtis ille Poliorcêtes momentô, & in oculis planè omnium, oculis obtutibúsq; omnium ſe ſubduxit.

Nec tamen fracti infortuniô barbari minuerunt audaciam: nec eâ viciſſim barbarorum contentus ſtrage, tutelam obſeſſorum deſeruit STANISLAUS. Oppugnant illi aurô venales quorundã propugnatorum animas, & expugnant. Paciſcuntur grandi ſummâ pecuniæ proditionem nefariam: appendituir proditoribus præſens aurum: in medium ſequentis noctis proditio ſcelerata condicitur: ab infanda nundinatione ſalutis publicæ ita diſceditur; ut proditores quidem aurô ſaturi, hoſtes ſpei funeſtæ pleni, digreſſi fuerint.

hoſtis corrumpit aurô aliquos è præſidiariis.

Perieras Urbs miſerrima! niſi fideliorẽ pro communi ſalute excubitorem habuiſſes KOSTKAM. Is primâ fere decretoriæ illius noctis vigiliâ viſendum ſe rurſum præbet nobiliſſimo fortiſſimóq; Viro Martino Kątſki, tum quidem Urbani præſidii Archiſtratego, deinde verò Cracovienſi (quem dicimus) Caſtellano. Aperit quo loco res ſint: de condicta proditione edocet: evadendi ſupremi infor-

indicat pactam proditionem Divus.

tunii rationem ſuggerit, atque in auras momentô abit. Siſtuntur illico, quæ ſuo ſonitu ſignum erant datura hoſtibus, horologia: mutantur indicatæ à STANISLAO excubitores Portæ: quæſtioni etiam ſubjiciuntur: fatentur ſcelus.

hoſtis prævertitur eruptione

At fortiſſimus ſapientiſſimúsq; ſtrategus, hoſtilem impreſſionem prævertendã ratus, lectiſſimam Præſidiariorum manũ raptim congregat: adhortatione egregiâ ſingulorum incendit animos: per concubiæ noctis ſilentium in hoſtem educit extra mœnia. Proceditur ad ſuburbanũ usque Templum Divi GEORGII: ibi acies ad excipiendum ex inſidiis hoſtem diſponitur: in armis ſtatur. Interea in deſignatam proditioni horam tertium inſonuêre quadrantem horologia: eâ teſſerâ excitus hoſtis taciturno agmine è Caſtris movet, & ſpe ac cupiditate illectus prædæ, non tam pugnam & arma cogitat, quàm victoriam. Obſervat greſſum omnẽ propinquantium, ex inobſervatis inſidiis miles noſter: datur repentè pugnæ ſignũ: ſonant claſſica: clamore irruentium, ac armorum fragore miſcetur cœlum: volantibûs undequaque flammîs nox in diem

con-

concedit. Exſternatus tam ſubitô pavore hoſtis turbat agmina: mox effuſo in Caſtra curſu fugam præcipitat. Inſtãt à tergo noſtri, & cædem ac metum latè ſpargunt: nec finem faciunt tamdiu; dum & cædendi ſatietas cepit omnes, & receptui juſſit canere Imperator. *cæditur.*

Ita quô peritura jam erat Leopolis infortuniô, ex eo illi etiam triumphi materiam KOSTKA præbuit. At hoſti barbaro extrema inde victoriæ deſperatio. Itaque qui nullam olim componendæ cum Urbe pacis, nullam lytri mentionem admiſerat; ultro jam & legatos de pace mittere, & qualiquali acquieturum lytro nõ obſcurè oſtendere. Ergo certis conditionibûs res utrinque tranſigitur. Redimitur jacturâ mediocri ſalus omnium, & quos perire brevi omnes oportebat humanitus; ii divinô beneficiô, ii Thaumaturgi KOSTCÆ tutelâ, non maximô rerum ſuarum damnô manſêre ſalvi. *deſperat expugnationem.* *pacem offert.* *ſolvitur obſidio.*

Nec fuêre ingrati. Proximè enim ſecuta luce (quæ STANISLAO etiamtũ ſacra fuerat, certatim in Templum noſtrum Urbs tota ſe infudit. Aderat Clerus cum Præſule, cum Senatu Populus, verbô tota fidelis Leopolis. Atque in *urbs erga Divum grata.*

gratulationes & laudes KOSTCÆ certatim effusi, gratias suo vindici immortales habere: vota persolvere: liberatorē agnoscere: immortalem beneficii pollicери memoriam: Ambrosianum denique (quem vocant) Hymnum, ad Aram hanc prostrati, lætîs vocibûs decantare.

*A*d ea verò grati piíq; erga KOSTKAM animi officia, non leve attulerunt momentum vel hostes impii. Ubi enim obsidio est soluta; Nobilissimi (ut inter barbaros) lectissimíq; eorum Duces, hospitum jam duntaxat nomine (hostilitatem enim omnem pax icta sustulerat) in Urbem, visendi studiô, admittuntur. Hìc ubi curiosiùs non Urbana modò quà publica, quà privata ædificia; verùm sacras quoq; profani visunt *Æ*des; in nostræ quoque Societatis Templū forte fortuna subeunt. Dúmq; alia ex aliis, ut se quidvis obtulit, contuentur; ad sacram quoque STANISLAO accedunt *A*ram, ac venerandâ eius conspectâ effigie, vah! exclamant alter ad alterum, hic ille est Gaurorum (ita Christianos appellant omnes) hic ille est istius imprimìs Urbis Deus, quem tam infestum nobis vel hâc

hostes quid fassi.

ipsa

ipsa obsidione sensimus! [27) Tũ ad Cives conversi; huic, ajebant, salutem debetis vestram uni. Hic pro vestra quotidie contra nostros assultus pugnavit Urbe. Hunc pro mœnibus turribúsq; vestris nullô fere non die conspeximus: invictum sensimus: extimuimus. Quod si, pergebant porrò, ex aliis detractum Aris Templísq; vestris, aurum nobis argentúmq; est pensum lytri nomine [utì ex vobis ipsis, cùm id penderetis, agnovimus) id quidem libenter accipimus: quòd nos eô liberè securéq; speremus fruituros. At [28) videte, inquiebant; videte, oramus etiam atque etiam; nè quid è DEI ISTIUS detractum *Ara*, nobis detis. Finem alioqui ille vindicandi non fecerit: útq; infestus ubique nobis est, nullâ non clade nostrâ suam sarcire *jacturam* æternùm contenderit.

Hæc palàm barbari: quorum invita veritatis confessio tantò existit probatior; quantò ab adulandi suspicione remotior: tantò autem ab hac labe remotior; quanto superbior & iratior; quantò à Christi-

[27) *P. Wieruszewski in Elogiis heroicis, p. 89. 90. & P. Kowalicki, ubi suprà, p. 330.* * [28] *P. Wieruszewski ubi suprà.*

anis

anis Sacris abhorrentior animus confitentium.

Ita tunc ex hoſte ipſo eſt cognitum, quis ille Divinus Puer eſſet, qui tam præſentem Leopolienſibus tuliſſet opem. Ita beneficium ſui Vindicis agnovêre Leopolienſes devinctiſſimi.

oratoris querela.

At heu me! qui rem ſeculorum dignã memoria, tam jejunè & parcè delibatam cogor relinquere! Imò, qui alia quoque ampliſſima, cùm in commune collata, tũ privatim quàm plurimis Leopolienſibus per KOSTKAM præſtita beneficia (temporis excluſus anguſtiîs) nè delibata quidem adigor præterire! Sed adigor tamen! parendum neceſſitati eſt. Erunt fortaſſe olim; qui, quæ ego ſeu non ſatis magnificè commemoravi graviſſima; ſeu ſilentio involvi innumera; feliciùs ex hoc loco proponent Oratores. Sufficient verò illis uberrimam pulcherrimámq; hanc materiem exempla innumera; quæ partim publicîs conſignata Actîs hiſtoricorúmq; commentariîs, partim votivîs conteſtata tabellîs; partim vivîs expreſſa coloribûs ubique exſtant.

ſolatium.

Quot enim hac una de re ſive jurata te-

teſtimonia in ſacris Conſiſtoriis, ſive Cõmentarii in bibliothecis, ſive votiva Anathemata pro Divi Ara, ſive ſpirantes & pæne vivæ imagines non intrà conclavia procœtonésq; ſolùm: verùm pro extimâ quoque tot ædium ornatiſſimarum facie! Hæc verò omnia ſi vel obiter quis percurrerit; nullum miſeriæ infortuniíq; genus repererit, cui prodigioſa STANISLAI beneficentia non plenam miraculi opem tulerit. Reſtituit [29] enim imbecilles, & languentes innumeros, viribus & vigori: inutiles & membrîs captos priſtinæ integritati: amentes rationi: mœrore obrutos ſerenitati animi: abſtractos in ſervitutem ſive dæmonũ, corpora obſidentium; ſive barbarorum, compedibûs catenísq; complures retinentium; antiquæ libertati. Subvênit præſenti pecuniâ, gravatis alieno ære: conciliavit capitali diſſidentes odiô: eduxit in littus naufragos: ad vitam moribundos & mortuos revocavit: ruentes ex alto in præceps, ſuîs in aëre, nè colliderentur, excepit manibûs. Quod poſtremum prodigium cùm (30)

privatorũ Divi beneficiorum monumẽta

eorundum multitudo, varietas.

[29] *hæc omnia collegit P. Nicol. Oborſki, ubi ſuprà, ex Proceſſu Canoniz. facto in Archidiœceſi Leopolien.* * (30) *vtì videre eſt apud eundẽ.*

olim

olim pluries; tum noviſſimè ante haud multos annos in Wilczkorum patratum Familia non memoriâ modò tenent quã plurimi; verùm oculîs quoque uſurpamus omnes, quotquot publicum ejus rei monumentum pro Familiæ ejusdem Ædibus intuemur propoſitum. Rei tum geſtæ ſeriem, ultra exquiſitam picturam, adjecta quoque epigraphe ita exprimit.

TERESSIA DE ZŁOTOROVICIIS WILCZKOWA, EX FENESTRA DOMUS ISTIUS IN SAXA PLATEÆ DECIDIT, CEU IN MOLLES ROSAS. NON COLLISA, QUIA SUPPEDITAVIT MANUM SANCTUS KOSTKA, PALLIUM PROTENDERE CADENTI VISUS.

Quod quidem plenum prodigii beneficium etſi palàm, ac totâ pæne inſpectante Leopoli, ea recepit Familia; quò certior tamen miraculo conſtaret apud Exteros Poſterósq, fides, diligentiſſimè in rem totam inquiſivit ſacrum Officium: confirmatámq; iuratîs graviſſimorum Civium teſtimoniîs pro ea, quâ in rebus ejusmodi pollet Authoritate, non ab o-

mni ſolummodò ſuſpicione abſolvit mendacii; verùm in luculentis quoque habẽdam prodigiis declaravit.

PARS II.

LEOPOLIS ERGA STANISLAUM GRATISSIMA

O Te tantô fortunatam Patronô, Urbs pulcherrima! Quanquam quid ego tam profuſam in te Thaumaturgi iſtius demirer beneficentiam, quam tot ac tantîs emeruiſti tu pridem tibi, & emereri etiamnum non ceſſas officiîs? Quid enim non egêrunt hactenus Cives piiſſimi, quid non agunt hucusque, ut gratiſſimos ſe probent STANISLAO?

Externam Cultûs illius pompam quàm egregiè cùm privatim, tum publicè quoque ſuſtinent? Interiorem (quæ potior eſt Divorum honoratio] animi erga illum devotionem quibûs non palam faciunt argumentîs?

Civium liberalitas in ornanda Divi Ara

Et primam quidem illam duliæ rationem, quàm exquiſitè, quàm inpenſè (nè

dicam, profusè) Tutelari persolvunt suo, vel hæc sola gratiosissima illius Ara luculenter commonstrat. Quot enim votiva ad illam Anathemata? quot perennes gratissimi animi testes tabellæ argenteæ? quot gẽmæ pretiosissimæ? quot annuli? quot coronæ? quot alia pretiosa donaria? Quot cordiũ, quot oculorũ, quot manuũ pedúmve effigies, salutis vel servatæ indicia; vel recuperatæ documenta? Quid memorẽ cerea donativa? faces? lychnos? funalia? quid floreas corollas & serta, quotidiana fere per æstatẽ munera?

meretúrq; id Loci hujus religio

Jure verò id quidem, meritóq; vos facitis Cives optimi. Meretur sanè à vobis locus iste sacerrimus, meretur ab omnibus tantâ religione coli; sive obtenta isthìc prodigiosa beneficia, sive eximia quædam summorum hominum exempla intuemur. Nam ut attacta jam nonnihil beneficentissima STANISLAI prodigia, magnam partem ad Aram hanc patrata præteream; Sereniſſimi Invictiſſimíq; Reges Poloniæ JOANNES CASIMIRUS, MICHAEL KORYBUTHUS WISNIOWIECCIUS, JOANNES III. SOBIESCIUS, non KOSTKAM modò universè, verùm speciatim quoque hunc locum, hanc illustrem prodigiis Leopolienſem il-

Regum veneratio in eundem locum.

lius

lius Aram tantâ ſemper, támq; luculenta pietatis ſignificatione coluêre; ut ſi deeſſent alia, vel ſola hæc illuſtriſſima ſingularis erga locum hunc religionis exempla, à ſapientiſſimis Sanctiſſimíſq; Regibus conſtanter palámq; edita, ſummam ei conciliare apud omnes poſſint reverentiam. Certè invictiſſimus JOANNES CASIMIRUS (quô unô Principe nemo Polonus Rex cum pluribus ſimul potentioribúsq; hoſtibus, nemo diutiùs, nemo fortiùs pro ſalute Reip. depugnavit) is inquam Princeps nihil habebat antiquius; quàm ut ſuam, afflictiſſimíq; per ea tempora Regni ſui fortunam, in ipſo pæne ingreſſu Regalis ſolii, STANISLAI tutelæ, hoc ipſo loco (31) commendaret. Id quod Sereniſſimus quoque MICHAEL KORYBUTHUS totô fere, quô ſceptrum Polonum tenuit, temporis intervallô tam ſæpe támq; conſtanter egit; ut egiſſe perpetuò videri poſſit.

Joannis Caſimiri,

Michaëlis,

Quid verò de illo non tam Triumphatore, quàm Fulmine barbarorum; nec Patriæ ſolùm ſuæ, verùm Romani quoque Imperii, Chriſtianitatísq; glorioſo Vindice, quid, inquam, dicam de Magno JOANNE SOBIESCIO? Egreſſus

(31) *hiſt Coll. Leop. S. J.*

Joannes III. utì victoriarum amplitudine, ita & pietate in Divum hunc, & loci hujus veneratione, cæteros superavit.

ille non Regum modò Polonorum; verùm omnium ferè (qui debellandâ Turcarum tyrannide immortalem sibi comparârunt aliquando gloriam) egressus, inquam, longè est tam fortitudinem, quã fortunam Heroum: ex quo tam multîs magnîsq; cladibûs totam fere non triumphavit solummodò; verùm pessumdedit obtrivítq; barbari Orientis potentiam. At idem quoque Achilles Christianus omnes retro Polonos Principes [etsi maximos STANISLAI Cultores) eximiâ imò incomparabili in Divum hunc religione, longissimè est egressus. Nihil tamẽ de aliis religiosissimi istius Principis in KOSTKAM officiis hoc loco dicam. Præteribo silentiô ardentissimum illud studium, quô apud Romanam Sedem institit Rex pientissimus, ut in Sanctorum numerum cooptaretur KOSTKA. Omittam dicere, quâ curâ, quâ contentione egerit apud eandem Sedem; ut idem Divus, prout suô jam erat meritô, ita Principes Primósq; inter Patronos Regni, Romanô quoque oraculô primus esset. Id unum dicam, quâ ille religione coluerit, quibûs Regiæ pietatis collustrârit exemplîs, quibûs ornârit donariîs hoc ipsum Leo-

po-

polienſe KOSTCÆ Sacrariũ, hanc prodigioſam Aram, gratioſam hanc imaginem STANISLAI. Quanquam hinc quoque gradum refero: nè iſtud quidem dicam totum, niſi longiſſimas Vobis è Collegii iſtius noſtri Annalibus recitare hiſtorias moleſtus velim. Unum igitur alterúmve ex plurimis non tam dicam, quàm innuam. Pientiſſimum videlicet Regem iſtum, pro quavis pæne victoria (quot verò victoriæ, primùm Copiarum Regni Ductoris, mox Regis quoque JOANNIS erant!) hoc ipſo loco ſupplicâſſe KOSTCÆ. Supplicationes verò ejusmodi præſentem ſemper cum lectiſſimo flore militiæ, totîs interdum hebdomadîs incredibili pietatis exẽplo obiiſſe: appendiſſe pretioſa donaria: [32] nuncupâſſe vota: obtuliſſe Sacrificia: nullum demũ religionis officium præterîſſe. Partâ autem de hoſte victoriâ, nunquam eam ſuorum ſeu dexteritati, ſeu fortunæ *A*rmorum; ſed uni ſecundùm Deum acceptam referre STANISLAO: ad hanc ipſam gratulari de illa *A*ram: verbô, KOSTKANAM illam, non ſuam profiteri. Inde cùm ali-

[32] *biſt. Coll. Leop. S. J. p.* 300. 301. 307. 310. *& ſeqq.*

quan-

quando memorabili illa ad Chotimũ clade delêſſet innumeras barbarorũ copias, [33] atque *Opima* [34] victis *ſpolia* detraxiſſet; non ea, ut jure poterat, è Regiæ ſuæ appenſa tholis, ſuæ ſacravit famæ, non ſuæ dicavit Gloriæ, non fortunæ; verùm ante omnia ex hac ipſa STANISLAI ſui (cujus ſcilicet pugnâſſet vicisſétque auſpiciîs] Leopolienſi [35] appendit Arâ. Tum deindè poſt aliquod intervallum temporis Romã iſthinc transferri voluit, ad Sacros STANISLAI cineres æterno Regii in Divũ animi futura monumento. O locum & ſuîs prodigiîs, & tantæ pietatis exemplîs Venerabilem! Quã jure igitur meritòq;, ut dixi, tantam ei Religionem, tantos impendis cultus, fortunatiſſimũ hôc tuô PalladiôLeoburgũ!

alia urbis in Divum ũ publica,

Non tamen unius ſacelli hujus anguſtiîs ſuam erga STANISLAUM pietatem circumſcribi patitur Urbs ampliſſima. Latiùs pæne illius (ſi qui ſunt) fines, quàm vel ſua profert pomœria. KOSTKANAS illa imagines pro utraque affixit Porta: cùm ideo, ut declaret, cui maximè excubitori ſe ſuámque ſalutem crediderit; tum verò ut nemo illam

* (33] *Annô* 1672.* (34) *Romanis Opima Spolia erant illa, quæ Dux ipſe, hoſtiũ Duci à ſe interfecto detraxerat. Roſin. Antiqq. l.* 10. * (35) *hiſt. Coll. pag.* 300. 301.

cui

ingrediatur extraneus, qui non illico inquilinos & Cives suos ex toto in STANISLAI tutelam conceſſiſſe perſpiciat. Imò verò pro altiſſima quoque turri Curiæ, ſublimis eminet KOSTKANA effigies; ut non cominùs modò iſta videant, qui mœnia portásque ſubeunt; verùm è longinquo etiam atque eminùs proſpectent omnes: NEC VIDERI A QUOQUAM POSSIT LEOPOLIS, NISI DEVOTA STANISLAO

tum privata officia.

Privatarũ verò ædium quotamquamque reperias, quæ non pro Laribus & Penatibus Koſtkanam iconem veneratione colat eximiâ? Ubi autem ſacrata STANISLAO dies appetit, quot ubique publicæ ſigna lætitiæ! quot paſſim devotiſſimi animi documenta! Feſtîs ignibûs non publica modò turris; verùm privatorum quoque collucent ædes. Pro foribus, pro feneſtris proponitur imago Divi; & ſertîs exornatur pulcherrimîs: colluſtratur faculîs: feſtivô ubique pæane celebratur.

Egregiq in civibus erga eundem animi affectus.

Is tamen Divorum cultus, quem & in animi devotione conſiſtere, & multò Divis ipſis gratiorem dixi accidere; ſapientiſſimis quoque Civibus multò exiſtit potior. Iſtud autem quibûs jam ego verbîs aſſequar? Nam quæ facundia tenerrimo illi erga Divum amori, filiali pæne fiduciæ, eximiæ reverentiæ (quæ ſin-

gulo-

gulorum corda occupant) exprimendis sufficiat? Factîs ista multò luculentiùs declarant illi, quàm oratio possit ulla. Apud non paucos pulcherrimus usus obtinuit, ut anniversariâ Divi lucẽ novenîs adeò ipsîs præveniant hebdomadib9: harũ singulos Martis dies religiosiùs obeunt: sacrâ se Exhomologesi expiant: Cœlesti accumbunt Epulo: solitas producunt preces: ante hanc ipsã STANISLAI Aram venerabundi procumbunt, eíq; tũ pro acceptis grates referunt amplissimas; tum ulteriora exposcunt beneficia. Id quod ritè sapientérq; suscipiunt, novenos illos Menses, quibûs in Societate Jesu, militaverat Stanislaus, novenariô hôc veneraturi numerô.

pia exercitia ante Festũ Divi

eadem ipsô Festô,

Sed ubi jam dicatus STANISLAO affulsit dies; quanto ardore animi, quanto pietatis sensu hæc ipsa religiosa exercitia Civitas obit tota!

Neque hîs tamen omnibûs satisfactum à se officio putant suo; quòd talia cum Advenis quoque ac Extraneis habeantur cõmunia eo die. Itaque septimô rursus die omnes ad unum conveniunt Cives piissimi, & seorsim ac soli ea ipsa iterum persolvunt officia STANISLAO. Ardent pro Divi Ara, numerosa fumalia: Votivum Urbis nomine Sacrum peragitur: illi ipsi (ut adsunt frequentissimi) jam præstita sibi beneficia grato revolvunt animo: jam præstanda deinceps, supplicabundi expetunt: jã totos se in clientelã KOSTKÆ profitentur concedere.

eadem sub actiduum Divo sacrum, urbis nomine

Peroratio

O dignam tantâ beneficentiâ gratitudinẽ! O pietatem Patrocinio tanto non imparem! o Divorum cultum, in religionis exempla omnibus proponendum! Pergite Cives amplissimi, pergite istîs officiîs demereri vobis Cœlum! non sinet illud liberalitatem erga vos suam vestris esse parcioré promeritis. Non patrociniũ à Vobis suũ desiderari unquã patietur Kostka; si quà cœpistis pietate, pergatis cum illo decertare.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029851